

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

XXV.

Salutem per Christum Jesum plurimam P.

J Amdudum equidem literis R. T. D. respondiſſem, Reverende & Clariffime Domine Doctor, Domine Præceptor, fautor, amice, & frater in Chriſto cum obſervantia colende. Sed cum ſilentii mei cauſa fuerit tabellionum inopia, ſpero me facile excuſatura iri. Jam verò Satlero ad vos redeunte, nolui cum ſine meis R. T. D. ſalutare literis. Et ſanè, qualis nunc harum regionum ſit ſtatus, ſine dubio famâ accepiftis. Sereniſſimus noſter Elector, Chriſtianus II. p. m. 23. Junii, diem ſuum in vera agnitione filii DEI apoplexiâ correptus obiit, & 6. Auguſti hîc apud nos Fribergæ in monumento majorum exuvias ſuas depoſuit. Ita nimirum noſtra meraere peccata, ut non ſolum noſter Princeps, ſed totius imperii Romani columna ceciderit. Succedit frater Illuſtriſſimus, Dn. Johannes Georgius, cui DOMINUS ex alto benedicit & Spiritu ſuo Sancto adſit, ut veſtigiiſ fraternalis, quoad pietatem & ſynceræ religionis zelum (de quo nihil omnino eſt, quod dubitemus) fideliffimè inſiſtat, Amen. Cæterum, quæ de Huberiano aſſecla, Caſparo Hirschio, ſcribis, mihi ex parte grata, ex parte verò minus jucunda fuere. Non enim parum me affecit, quod R. T. D. mendacia iſta hominum reproborum mihi communicare non dedignata fuit. Et tamen non leviter etiam commovit, quod in vulgus ea ſpargi ſine ulla fronte, intellexi. Puto autem calumnias eſſe uſque ad eodè crasſas, ut nemo ſanus illis fidem habeat. Habent Wittebergenſes ſecum, M. Fabricium, Hebrææ linguæ Profeſſorem, qui ſemper fuit à partibus Huberi, vivo etiam p. m. ſocero meo, ſed intra terminos vocationis ſuæ ſe continere cogitur. Et præterea nullius ibi eſt æſtimationis. Quin imò non intelligit ſtatum controverſiæ inter Huberum & noſtrates. Is num Hirschium iſtiusmodi rumuſculis lactet & demulceat, pro certo equidem aſſeverare non audeo. Notum eſt omnibus, quicumque Wittebergam inhabitant, quàm placidè in Domino ſocer meus & poſt eum reliqui Theologi obierint. Et ſi neceſſarium fuerit, publicis ſcriptis manes illorum vindicari poſſent. Interim à R. T. D. etiam atque etiam contendo, ut famam tantorum virorum aſſerere porrò pergat. Huberus quidem de novo aliquid molitur, ſed fruſtra. Intellecto obitu Electoris noſtri rectà Drefdam ſe contulit. Petiit à novo Electore, ejuſque Conſiliariis, ut audiretur & diſputationi cum Theologis Electoralibus adhiberetur. Jactavit ſuam longævitatem & adverſariis ſuis deſunctis hinc cauſæ ſuæ bonitatem aſſerere voluit. Addidit inſuper calumnias: Omnes quotquot jam in Electoratu eſſent, Theologos eſſe Calvinianos. Id ſe monuiſſe jam ante non ſemel, & adhuc monere. Scilicet putat ineptus homo, nos omnes eſſe aſinos, quos ille ſolus, præceptoribus noſtris à Domino ex hac vita evocatis, equitare velit. Sed reſponſum fuit homini: Cauſam fatiſ vivo Adminiſtratore Electoratus Saxoniæ eſſe cognitam, ipſum iudicio & conſenſu ordinum ex hiſce regionibus ejectum, & calumnias ejus toti orbi Chriſtiano eſſe

K k k k k

notiffi-

notissimas. Quareò, unde concesserit, redire debeat. Ita re infecta vetus suum latibulum repetere coactus fuit. Dominus verò à perverso atq; Absurdo hoc homine, (sicut ex 2. Thess. 3. socer meus precari solitus fuit) clementissime Ecclesiam suam tandem liberet, Amen. Plura, quæ jam scribam, non occurrunt. Omnia adhuc sunt sedata. Conventus Electoralis mensè sequenti Mülhusi celebrabitur. Is sine dubio res novas aperiet. Jam R. T. D. cum tota Ecclesia & Academia Argentinenfi optimè vivat & valeat, Venerandoque ordini & ministerio Theologico à me salutem precetur plurimam. Dabam raptim Fribergæ, 17. Augusti, Anno

1611.

R. T. D.

Studiofissimus

Helvicus Garthius, D.
ibid. Past. Sup.



EPISTO.